



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 118. Vtrum creare sit proprium solius Dei, ita vt nulla creatura possit eleuari ad creandum ne quidem instrumentaliter?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

actiua, vel passiua eleuata sunt ad recipiendos, vel producendos effectus, qui non continerentur in earum adequatis specificatiuis. Idem dic ad alia similia exempla.

QVÆSTIO CXVIII.

Vtrum creare sit proprium solius Dei, ita vt nulla creatura possit eleuari ad creandum ne quidem instrumentaliter?

S. Th. qu. 45. ar. 5.

1. **V**idetur creare non esse ita proprium Dei, vt nulla creatura possit creare, etiam vt causa principalis. Primo enim ex Aristotele 2. de anima t. 34. perfectum est, quod potest producere sibi simile; sed substantiæ immateriales, nimirum Angeli sunt perfecti, ac multo perfectiores, quam animalia, plantæ, & homines; ergo quandoquidem plantæ, animalia, & homines possunt producere sibi simile in specie, vt causæ principales, à fortiori Angeli possunt producere sibi simile, hoc est alios Angelos: sed Angeli non possunt produci, nisi per creationem; ergo Angeli possunt creare alios Angelos sibi similes.

2. Secundò difficilior est ex vno contrario producere aliud contrarium, quam illud producere ex nihilo: nam magis resistit contrarium productioni alterius contrarij, quam resistat nihil; sed agentia naturalia possunt ex vno contrario producere aliud contrarium, puta calidum ex frigido; ergo possunt etiam aliquid producere ex nihilo.

3. Terrio eatenus creatura nõ possit creare, quatenus ad creandũ requireretur virtus infinita; sed ad creandum non requiritur virtus infinita; ergo. Probatur minori: nam ad producendum effectum finitum non requiritur virtus infinita; sed per creationem producit effectus finitus; ergo.

4. Quarto nulla potest asserri sufficiens, & efficax ratio, propter quam creatura non possit aliquid creare, etiam vt causa principalis; ergo.

5. Quinto videtur saltem creatura posse à Deo eleuari ad creandum instrumentaliter. Nam Incarnatio per vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo, sanctificatio hominis per gratiam, transsubstantiatio eucharistica, sunt effectus perfectiores, quam creatio mulsæ: sed creaturæ materiales in sacramentis eleuantur ad instrumentaliter sanctificandum hominem per gratiam, & ad causandam physicè transsubstantiationem eucharisticam: potuisset etiam Deus vt aliqua creatura vt instrumento ad causandam vnionem hypostaticam; ergo.

6. Respondeo omnes catholicos fateri nullam à Deo productam fuisse creaturam, quæ possit natia virtute creare, solum ergo est

controuerfia, vtrum hæc creatura sit possibilis: & vtrum Deus possit eleuare aliquam creaturam ad creandum instrumentaliter?

7. Prima sententia Durandi in 2. dist. 1. quæst. 4. docet possibilem esse aliquam creaturam, quæ posset creare vt causa principalis. Fundamentum desumitur ex difficultate probandi impossibilitatem talis creaturæ.

8. Secunda sententia Magistri in 4. dist. 5. cap. ultimo, Sancti Thomæ in 4. dist. 5. qu. 1. art. 3. quæst. 3. ad 4. & in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Suarez disp. 20. Metaphysicæ, sect. 3. & plurimum recentiorum docet repugnare creaturam, quæ creare possit vt causa principalis, sed non repugnare, vt Deus aliquam creaturam eleuet ad creandum instrumentaliter.

9. Tertia sententia docet non solum repugnare creaturam, quæ possit creare vt causa principalis, sed etiam nullam creaturam posse à Deo assumi vt instrumentum creationis, & eleuari ad creandum. Hanc sententiam, priori retractata, docuit Sanctus Thomas, tum hoc art. 5. quæst. 45. tum 2. contra Gentes cap. 21. Albertus in 2. dist. 1. art. 7. Scotus in 4. distinct. 5. quæst. 1. Ricch. in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 2. Henricus eadem distinct. qu. 2. Sanctum Thomam sequuntur Thomistæ, ac præsertim Caiet. in Comm. huius art. 5. qu. 45. & Ferrarient. 2. contra Gentes, cap. 21. atque ex nostris Vasquez 1. parte disp. 176. cap. 2. & seqq.

10. Dicendum: non solum repugnat creatura, quæ sua actiua virtute possit creare vt causa principalis, sed etiam repugnat aliquam creaturam à Deo eleuari ad creandum instrumentaliter.

Probatur primò ex Patribus. Athanasius serm. 3. contra Arianos dicit: *Administrare creaturarum; & seruorum est: condere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi, & sapientie est.* Cyrillus lib. 2. contra Iulianum dicit. *Inaccessa natura sunt ea, quæ propria sunt solius, & omnium substantiæ, quorum vnum esse dicimus efficaciter operari posse vt creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, subintellige quoad nullam partem sui, etiam quoad materiam.* Basil. lib. 4. contra Eunomium probat Filium esse verum Deum, quia creare potest; ergo supponit nullam creaturam posse creare. Afferuntur etiam August. lib. 5. de Trinitate, cap. 8. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 15. lib. 12. de Ciuit. cap. 24. Prosper in sententijs, & Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 3. qui putat hæreticum asserere aliquid fuisse creatum ab Angelis. Hæc testimonia, saltem probant impossibilem esse creaturam, quæ possit creare natia virtute, & vt causa principalis.

11. Probatur secundò, explicando, & promouendo rationem Sancti Thomæ. Ex dictis enim quæst. superiori de potentia obedientiæ li nullas virtutes, vel potentias potest eleuari ad id, quod non continetur in eius adequato specificatiuo; ex gr. quia adequatum specificatiuum potentie visus est videre, auditio au-

tem non continetur in visione, cum non sit visio, potentia visiva ne diuinitus quidem potest eleuari ad audiendum: & ex proportionali ratione potentia auditiva non potest eleuari ad videndum: ac multo minus potentia sensitiva, & imaginativa possunt eleuari ad intelligendum; sed actio creativa non continetur in adequato specificatio vilius potentie, ac virtutis actiue creatæ; ergo nulla potentia, ac virtus actiua creata potest eleuari ad creandum. Probatur minor. Nam omnipotentia, & virtus actiua creata ex suo conceptu est potentia, & virtus agendi ex materia præsupposita, & ex subiecto præsupposito, ac proinde habet pro adequato specificatio actionem ex materia, & subiecto præsuppositis: sed actio creativa, cum non producat ex materia, & subiecto præsuppositis, non continetur in actione, quæ est ex subiecto, & materia præsuppositis: ergo. Probatur maior: nam omnes, dum consideramus virtutes, & potentias actiuas creatas, cognoscimus euidenter, quod ex nihilo nihil fit, hoc est quod virtutes actiue creatæ sunt virtutes ad agendum, non ex nihilo, sed ex materia, ac subiecto præsuppositis; & quia difficile à virtutibus creatis eleuamur ad percipiendam virtutem increatam, & vniuersalem primi entis, ideo difficile percipimus Deum per suam omnipotentiam posse res producere ex nihilo, ac nullo supposito subiecto, seu materia; ergo virtutes actiue creatæ specificantur, ac definiuntur per hoc, quod sint virtutes agendi, & operandi ex materia, & subiecto præsuppositis.

12. Confirmatur: nam ideo dicimus potentiam visiuam definiri per hoc, quod sit virtus videndi lucidum, & coloratum, ac proinde specificari per visionem lucidi, & colorati, quia reflectentes supra potentiam visiuam, hoc aduertimus, & simili reflexione abstrahimus definitiones, & adequata specificatio aliarum potentiarum: sed omnes homines reflectentes supra potentias, & virtutes actiuas creatas naturaliter cognoscunt illas esse virtutes agendi ex materia, & subiecto præsuppositis; ergo dicendum est, quod virtus actiua creata definitur virtus agendi ex subiecto, & materia præsuppositis, ac proinde eius specificatio adequata est actio ex materia, & subiecto præsuppositis; sed sub hoc specificatio non continetur creatio, quæ est productio ex nihilo; ergo actio creativa non continetur sub adequato specificatio virtutis actiue creatæ, ac proinde virtus actiua creata non potest à Deo eleuari ad creandum, ne instrumentaliter quidem.

13. Infertur, quod ex proportionalibus principiis, ex quibus probatur oculum non posse eleuari ad audiendum, aurem non posse eleuari ad videndum, sensum non posse eleuari ad intelligendum, ostenditur etiam virtutes, & potentias creatas non posse eleuari ad creandum.

14. In idem recidit ratio, quam Sanctus

Thomas affert in hoc art. 5. quæst. 45. Arguit enim ex eo, quod proprium causæ primæ, & vniuersalis est, producere ens ex nullo alio ente præsupposito, sed ex nihilo; causæ autem particularis proprium est producere hoc, vel illud ens ex aliquo alio ente præsupposito, & non ex nihilo; sed creare est producere ens ex nullo alio ente præsupposito: ergo creare est proprium causæ primæ, & vniuersalis, ac proinde nullo pacto potest conuenire causis secundis, & particularibus. Hæc ratio, ut patet, fundatur in hoc, quod potentia, & virtus creata ex suo conceptu, & definitione non est virtus productiua entis ex non ente, sed est virtus productiua talis entis ex aliquo alio ente, ac proinde habet pro adequato specificatio productionem talis entis ex aliquo alio ente, & sic non potest eleuari ad actionem creatiuam, quæ est productio entis ex non ente, ac consequenter ex nihilo. Aliæ rationes, quæ afferuntur ab alijs authoribus, videri possunt apud Suar. disp. 20. Metaphysicæ, cap. 2. & 3. & Vasquez 1. par. disp. 175. & 176.

15. Ad 1. distingo maiorem: perfectum potest producere sibi simile secundum naturam, vel secundum aliquod superadditum naturæ, concedo: semper secundum naturam, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Multa sunt ita perfecta secundum naturam, ut sint ingenerabilia, & incorruptibilia, ideoque non possunt producere sibi simile in natura: e. gr. ex corporibus cœlestibus, Sol non potest producere alium Solem sibi similem in natura, Luna non potest producere aliam Lunam: ergo non est mirum, quod Angeli sint ita perfecti in natura, ut sint ingenerabiles, & incorruptibiles, ac proinde Angelus non possit producere alium Angelum. Angelus tamen perfectus in scientia potest illuminare, & docere alium Angelum, & sic reddere illum sibi similem in scientia. Rursus Angelus cum possit omnia intelligere, potest omnia producere in esse intentionali.

16. Ad 2. nego maiorem. Vnum contrarium producit ex alio contrario solum per accidens, ac per se producit ex subiecto communi: possunt autem agentia creata transmutare vnum contrarium in aliud, producendo aliquid ex subiecto communi, siquidem per hoc non producant totum ens, sed ex vno ente præsupposito producant aliud ens. At non possunt agentia creata producere totum ens ex nihilo, seu ex nullo ente, ut probatum est.

17. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distingo maiorem: ad producendum effectum finitum ex aliquo subiecto, & ex aliqua potentia non requiritur virtus infinita, concedo: ex nullo subiecto, & ex nulla potentia, ac proinde ex nihilo, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Ad producendum effectum finitum aliquo speciali modo potest requiri virtus infinita: e. gr. licet ad producendam muscam,

con-

concurrente alia causa, non requiratur virtus infinita, tamen ad producendam muscam sine concursu alterius causæ, requiratur virtus infinita, ideoque causæ secundæ, cum habeant virtutem solum finitam, non possunt producere muscam, vel alium effectum sine concursu Dei, vt docent communiter Theologi, & Philosophi contra Durandum, ac solus Deus per infinitam virtutem suæ omnipotentia potest producere effectus finitos sine concursu alterius causæ. Proportionaliter ad producendum effectum finitum, concurrente subiecto, & materia, non requiratur virtus infinita: sed ad producendum effectum finitum sine concursu subiecti, & materiae, ac proinde ex nihilo, requiratur virtus infinita, ideoque solus Deus potest per creationem producere aliquid ex nihilo. Confirmat hoc Sanctus Thomas in resp. ad 3. Nam quo potentia, ex qua educitur effectus, & actus, est magis remota ab actu, eo maior virtus requiritur in agente; sed nulla potentia non habet ullam proportionem cum aliqua potentia: ergo ad producendum effectum ex nulla potentia, ac proinde ex nihilo, requiratur virtus nullam habens proportionem ad virtutem producenti effectum ex aliqua potentia: sed virtus nullam habens proportionem ad virtutem finitam est infinita; ergo ad producendum effectum ex nulla potentia, ac proinde ex nihilo per creationem requiratur virtus actiua infinita.

18. Ad 4. iam num. 11. 12. 13. & 14. allata est sufficiens ratio, propter quam repugnat, vt creatura creet, non solum vt causa principalis, sed etiam vt instrumentalis.

19. Ad 5. licet Incarnatio, sanctificatio hominis per gratiam, transubstantiatio eucharistica sint effectus perfectiores ex parte ipsius effectus, quam plures effectus, qui creantur, tamen creatio ex parte modi creandi ex nihilo, ac nullo concurrente subiecto, est effectus difficilior, ac non potens produci, nisi à virtute infinita; ergo licet creatura possit eleuari ad causandam instrumentaliter vnionem hypostaticam, gratiam sanctificantem, transubstantiationem eucharisticam actione aliqua, educiua ex potentia subiecti, non sequitur, quod creatura possit eleuari ad aliquid creandum ex nihilo.

QVAESTIO CXIX.

Utrum creare sit proprium alicuius Personæ diuinæ, & in creaturis necessaria inueniatur aliquod vestigium Trinitatis?

S. Th. qu. 45. art. 6. & 7.

1. Videtur non satis explicari, quo pacto creare sit commune omnibus tribus Personis, & tamen aliquo modo speciali tri-

buatur Patri, & quo pacto in creaturis inueniatur vestigium Trinitatis: ergo.

2. Respondeo: certum est primo, ac de fide, creationem esse actionem communem toti Trinitati, & omnibus tribus Personis diuinis. Hæc veritas definita est in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. relato cap. Firmiter: in Concilio Toletano 4. cap. 1. & 11. in Confes. fidei, & in Epist. Agathonis, quæ est in 6. Synodo, Act. 4. & act. 17. Est etiam doctrina communis Patrum. Dion. cap. 2. de diuin. nomin. August. lib. 1. de Trinit. cap. 14. & 5. & aliorum, ideoque est axioma Theologorum, quod opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ratio est, quia Deus creat per suam omnipotentiam, intellectum, & voluntatem: sed omnipotentia, intellectus, & voluntas sunt communes omni tribus Personis: ergo omnes diuinæ Personæ creant, & sicut tres Personæ, quia sunt Deus per vnā deitatem, non sunt tres Dij, sed vnus Deus, sic tres Personæ, quia sunt creator per vnā omnipotentiam, & vnā virtutem creatiuam, non sunt tres creatores, sed vnus creator.

3. Certum videtur secundo, quod Deus est causa, & creator rerum per intellectum, & voluntatem. Ratio est, quia artifex causat, & facit artificia per intellectum, & voluntatem; sed Deus creauit, & causauit mundum, & omnia vt artifex perfectissimus; ergo creauit, & causauit mundum, & omnia per intellectum, & voluntatem, per cognitionem, & amorem. Rursus artifex facit sua opera artificia per verbum conceptum in suo intellectu, & per amorem productum in sua voluntate; ergo proportionaliter Pater æternus producit omnia per suum Verbum, & per Spiritum Sanctum, in quantum Verbum, & Spiritus Sanctus includunt attributa essentialia, nimirum scientiam, & voluntatem.

4. Certum est quarto, quod sicut natura diuina ita est communis tribus Personis, vt illis conueniat quodam ordine: nam Pater habet naturam diuinam à se ipso: Filius habet naturam diuinam à Patre; Spiritus Sanctus habet naturam diuinam à Patre, & Filio: sic proportionaliter virtus creatiua ita est communis tribus Personis, vt illis conueniat quodam ordine. Nam Pater habet à se ipso virtutem creandi: Filius virtutem creandi habet à Patre: Spiritus Sanctus eandem virtutem creandi habet à Patre, & Filio. Ad exprimendum hunc ordinem, Pater dicitur creator vt primus fons creationis, & vt habens à se ipso virtutem creandi. De Filio dicitur, quod per ipsum facta sunt omnia, & quod Pater creauit per Filium, ita vt particula per significet causam mediam, seu principium de principio. Sicut enim Filius est Deus, quia à Patre accipit esse Deum, ita respectu creationis est principium de principio, quia à Patre habet esse principium creationis. Spiritui autem Sancto, quia virtutem creandi habet à Patre, & Filio, attribuitur, quod Pater, & Filius per Spiritum Sanctum.